



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

Expositio Cantici Magnificat

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

EXPOSITIO
CANTICI
MAGNIFICAT

à
V. P. PAULO SEGNERI SOCIETA-
TIS JESU,

inchoata

à
P. MAXIMILIANO RASSLER
EJUSDEM SOCIETATIS,

latine reddita.



*Cum Gratia & Privilegio Sac. Cas. Majest.
Et facultate Superiorum.*

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD
Bibliop.

Typis MATTHIÆ RIEDL Typogr.

MONACHII,
ANNO M DCC VI.

EXPOSITIO
CANTICI
MAGNIFICAT

V. PAULO SEGENERI SOCIETATIS
I. I. I.

P. MAXIMILIANO RASSLER
EUSDEM SOCIETATIS



Typi Matr. Paderborn. Typogr.
Lithogr.
Simplicia JOHANNES CAROLUS RINGARDT
in Paderborna

ANNO M DCC LV
MCMXCVII



Magnificat Anima mea Domi- num.

1.



Onsidera, quàm diversa sit ratio quâ DEUS magnificat hominem, ab illa, quâ homo magnificat DEUM. DEUS magnificat hominem efficiendo illum magnum. *Quid est homo quia magnificas eum?* dixit Job, & dixit *magnificas, non magnificasti:* si enim animum adverteris, DEUS nunquam hoc facere desinit, semper magnum efficit hominem; dum non contentus magnum jam illum fecisse dotibus naturæ, semper paratus est facere illum majorem majorémque dotibus gratiæ, & maximum excellentiâ gloriæ. Homo è diverso magnum facit DEUM, dum se ante hunc tanto magis abjicit, parvumque facit, quò magis ab ipso attollitur & major efficitur, deprimendo sese, vilipendendo, refundendóque in ipsum omnes omnino favores, quos tanta ab eo benignitate accepit. *Magnificabo eum in laude, non me, sed eum.* Atque hoc est quod ante omnia facere studuit Virgo Sanctissima. Cùm enim audiret se ab Elisabetha tam sublimi ratione prædicari iis verbis, *Beata qua credidisti, quoniam perficientur ea que dicta sunt tibi à Domino;* non negavit illi prærogativas exi-

Psal. 68.
v. 31.

A 2

mias in se collatas; cum inficiari illas nec posset, nec deberet. Non poterat, quia animi demissio non tollit Animæ aspectum donorum, quibus locupleratur: non debebat, quia cum Virgo electa esset ad dandum testimonium admirandis illis operibus, quæ DEUS in illa efficere decreverat, idem futurum erat omni in occasione illa dissimulare, ac illa penitus negare. Quid egit igitur? Professæ est apertè, in Mysteriis circa & in se gestis, solum DEUM magni esse faciendum, solum DEUM agnoscendum, cum omnia sine discrimine ab ipso uno manarint. *Magnificat anima mea Dominum.*

Eccl. 7.
v. 19.

Disce tu hinc, quàm immeritò conqueraris, quando dicis, nescire te, quid facere pro gloria DEI debeas. En illud paucissimis. *Humilia valde spiritum tuum.* Deprime te in ejus oculis omni meliorem modo quo potes: altè in animum demitte, quòd tu ex te nihil sis, nihil scias, nihil possis boni. Dic siquid usquam habes æstimatione aliquâ dignum, id totum esse ab Ipso, & ita tu confestim eam dabis ipsi gloriam, quæ majorem illum facit non in se, sed in te ipso. Nequit in semetipso crescere DEUS, quia Magnitudo ejus omnis mensuræ expers est: *Magnitudinis ejus non est finis.* Potest tamen in te magis magisque crescere; eâ liquidem proportione, quâ in te crescit vilis tui æstimatio, quam de te in donis à DEO acceptis concipis, crescit in te DEI æstimatio.

Psal. 144.
v. 3.

do ejus omnis mensuræ expers est: *Magnitudinis ejus non est finis.* Potest tamen in te magis magisque crescere; eâ liquidem proportione, quâ in te crescit vilis tui æstimatio, quam de te in donis à DEO acceptis concipis, crescit in te DEI æstimatio.

Verum est, quòd Virgo non contenta DEUM summè magnificare in se ipsa, eundem in aliis quoquè summè magnificârît. Ille siquidem DEUS, qui antequam humanâ se carne vestiret, non erat notus, nisi in uno aliquo terræ angulo; *Notus in Judæa DEUS:* non diu post assumptam hominis naturam toti planè Mundo innotuit. *Magnificatus*

tus

tus est Dominus, quoniam habitavit in excelsis; hoc est, quia
 pependit in ligno, ut explicat Hugo, implevit Syon iudicio Isa. 33.
 & iustitia: iudicio in Prelatis, iustitia in subditis. Et positi- v. 5.
 to hoc, rectè dicere poterat Virgo, Magnificat anima mea
 Dominum: ipsa enim dedit DEO illam carnem, cuius gra-
 tiâ, tanto ille ampliùs futuris temporibus erat glorifican-
 dus. Neque hoc duntaxat. Virgo enim non tantùm ma-
 gnificavit DEUM in semetipsa, ut dicebamus, non tantùm
 magnificavit DEUM in aliis, sed parum abfuit quin dice-
 rem, quòd illum magnificaverit etiam in semetipso. Si-
 quidem ante Incarnationis in ipsa peracta opus DEUS erat
 DEUS, ut nemo nescit: erat tamen hominum tantùm:
 DEUS Abraham, DEUS Isaac, & DEUS Jacob: subinde au-
 tem etiam factus est DEUS DEI; dum factus est DEUS
 Christi. Ita audis, Christum ferali in ligno apertè dixisse,
 DEUS DEUS meus quare me dereliquisti? Non satis illi erat
 dicere DEUS, sed addere insuper voluit, DEUS meus: ut ad-
 verteretur, quòd invocaret eum non solùm ut DEUM o-
 mnibus communem, sed ut suum proprium. An autem
 hac magnificatione major cogitari poterat? & hanc tamen
 à Virgine consecutus est DEUS. Gratulare ipsi sortem
 hanc suam, qualis nulli alteri puræ Creaturæ obtigit: ma-
 gis tamen illi gratulare, quòd præ omni alia pura Creatu-
 ra sciverit respondere huic sorti suæ.

II.

CONsidera quòd ad affirmandam absolutam omnibus
 numeris gratitudinem, rectumque donorum acce-
 ptorum usum, non dixerit Virgo, ut ceteroquin po-
 tuisset: Magnificat lingua mea Dominum sed Magnificat ani-

A 3

ma

ma mea Dominum: idque eâ causâ, quia sine comparatione plus gloriæ rependebat DEO mediis facultatibus suis intimis, quàm rependeret verbis. Dum Virgo loquebatur cum hominibus de DEO, necesse illi erat uti vocabulis, quibus vulgo omnes utebantur: at cùm de DEO loquebatur cum DEO intra se, in agendis ipsi gratiis, in admirando, in amando, in laudando ipso, aliter se res habebat. In hoc non subjecta nostris loquendi formulis, utebatur sensis & affectionibus suis peculiaribus. Nostine autem tu, qualis hæ fuerint? hoc ut nosceres, nôsse priùs oporteret, qualis Anima fuerit Anima MARIÆ Virginis. Hoc autem quis unquam intelliget? *Multa filie congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*; quæ sunt Sapientis admiratione attoniti ad illam verba. Dixit, *universas*, non, *singulas*: si enim parte unâ bilancis ponerentur omnes omnium animarum electarum, ab ipsa distinctarum, divitiarum; alterâ autem divitiarum Animæ ipsius unius, hæ non minùs confestim illis præponderarent, quàm aurum ponderis majoris alteri deficienti.

Prov. 3.
v. 29.

Ne igitur proveharis in mare vastissimum, ad hoc unum attende: aliam omnino nullam è puris creaturis potuisse de tota sua anima propria ita disponere, sicut disponere potuit Virgo Sanctissima. Ratio ejus rei est, quia sola ipsa plenum perfectumque Animæ dominium habuit: adeo semper immunem illam ac liberam habuit ab omnibus aberrationibus importunis, ab omni perduellione, obstinatione, affectionibus minùs compositis ordinatisque. Quanto igitur jure, quàmque meritò dixit Virgo, *Magnificat anima mea Dominum*? Dixit, quod nulla alia pura creatura dicere potuit, quia alia nulla unquam sic animam suam propriam dicere potuit, sicut illam dixit suam Maria.

An

An tu fortassis dicere unquam potes, quòd anima tua tua fit? quomodo tua, si tam parùm pro arbitrio disporre de illa potes? an non Ambitio, Ira, Invidia, Vanitas eò jam provectæ sunt, ut tyrannidem in illam exercean? Quomodo igitur tuam ampliùs verè dicere potes? Priusquam illam recuperes è manibus tam multorum hostium barbarorum, quàm multæ sunt perturbatæ affectiones & propensiones tuæ, ne illam tuam jactes; nam etsi jure tua est, facto tamen & re tua non est. Et si re tua non est, quomodo tu quoque cum Virgine liberè dicere poteris, *Magnificat anima mea Dominum*? Ne hoc dixeris: iridebunt enim te mali saltem Dæmones, qui probè nòrunt, traditam suæ possessioni re ipsa illam Animam, quam tu tuam appellas. Vox ista, quæ possessionem significat, paucorum à lingua citra omnem exceptionem profertur, à multorum lingua pessimè; sola Virgo semper & citra ullam exceptionem illam protulit.

Hinc est, quòd Anima ipsi fundi instar fuit, qui nunquam non ipsi summè frugifer fuit; quantum enim boni in illo plantavit, quantum seminavit, id omne in suo seminavit plantavitque. Quàm interim verum est, quòd ex Anima tua plus ad alios redeat, quàm ad temetipsum? Concionaris fortassis, scribis, typo committis, consilia ad virtutem suggeris. Quid autem hinc tibi commodi, si tu non jam tuus, sed hostium tuorum esses? parum sanè id tibi prodesset. Leo, quem Samson suffocavit, paucis abinde diebus favum mellis dulcissimum in ore habuit. Quis tamen illo est fruitus? quivis potiùs alius, quàm ipse. Fruitus est illo Samson ipse, fruitus hujus parens, fruita mater: solus Leo non est fruitus. Dolenda infelicitas! sed faxint boni Superi, ne talis sit & tua.

III. Con-

III.

CONsidera, Virginem, cum magnificare illum vellet, à quo donis tam eximiis erat locupletata, potuisse verissimè dicere, *Magnificat anima mea filium meum*, dixisse tamen *Dominum*. Et quâid causâ? non aliâ, quàm ut longissimè à se haberet vel umbram laudis propriæ. Ita Sanctis visum: dicere *Filium* fuisset uti vocabulo sibi nimium quantum glorioso; cum facere mentionem filij non potuisset, quin simul indicaret, quòd ipsa Mater esset. Quare maluit dicere *Dominum*: cum vocabulo huic non alius responderet titulus, quàm Ancillæ: *Ecce Ancilla Domini*. Et verò hic ipse erat ille titulus, qui Virgini præ omni alio arrisit: sic ut, si illa lætabatur, quòd æterni Verbi Mater esset effecta, non ideo lætaretur, quòd inde Domina Mundi esset hoc ipso effecta; sed quòd ratione quadam peculiari, arctiorèque obligatione serva esset, quâ ut Mater servire filio suo debebat, illum lactando, educando, custodiendo, & omne obsequij genus constanter exhibendo, quod mater egena præstat soboli suæ, quanto teneriori, tanto opis magis indigæ. O verè proinde Beatum illum, qui nihil plus facit, quàm servire DEO! Lectissimis in Oratione abundare deliciis, illustrari miris modis, evehì, visitari, dona sunt æstimanda; sed non tantopere. Minimum, quod DEO exhibeamus obsequium plus multo valet, quàm dona quælibet, quæ à DEO in nos conferantur.

Tu igitur, qui audis, quomodo Virgo se gesserit, ejus tam egregio exemplo disce; non aliam in DEO perfectionem magis amare, quàm quòd sit Dominus tuus. Hæc est illa, quæ in memoriam tibi revocat, quòd totum te pro ipso impendere debeas, quin quidquam inde spectes commodi, quod in te redundet. Si DEO servis ut Potens, ut

Bonus,

Bonus, ut Beneficus est, ambigere potes, an non occulto aliquo tui amore ad serviendum impellaris: si servis ipsi, ut Dominus tui totius est, securus omnino es; sic enim pari ratione ipsi servies, etsi mercedis planè nihil ab eo accipias. Inde tam bene scripsit ille: *Beata gens, cujus est Dominus DEUS ejus.* Neque enim omnes beati sunt, qui verum adorant DEUM. Beati illi sunt, qui sic illum adorant, ut insuper ipsum habeant tractentque ut eum qui est, hoc est ut Dominum suum omnibus numeris absolutissimum.

Psal. 32.
v. 12.

Observe idcirco, quòd Virgo ne quidem voluerit dicere *Magnificat anima mea Dominum meum*; dicere voluit *Dominum* nullâ adunctâ voculâ, quæ restringeret; ut inde constaret, quòd Dominus non magis sit Dominus hujus quàm illius, sed æqualis omnium: *Idem Dominus omnium.* Atque ita nemo est, qui non pari modo ipsi servire teneatur. Age igitur tu, dic DEO intimo animi tui sensu. *Dominus universorum tu es*; simulque erubescere cùm cogitas: Dominum tantæ majestatis eò se abjecisse, ut tui amore etiam formam servi assumeret: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Atque hanc etiam ob causam potius dicere voluit Virgo *Magnificat anima mea Dominum*, quàm aliud quidlibet; ut indicaret, non idcirco se Filium suum non agnoscere Dominum, quòd illum ad servi conditionem redactum intueretur. Observavit S. Dionysius, nullum unquam è Dominationum Choro Angelum in sacris Liberis legi missum ad serviendum cuiquam hominum; cui enim Dominatio cõgenita est, dura admodum & violenta illi futura fuisset servitus.

Philipp. 2.
7.

Qua a igitur res fuit, ad serviendum non uni duntaxat seorsim homini, sed omnibus planè etiam vilissimis

B

& abje-

& abjectissimis, mitti eum, cui non tantum congenita est Dominatio, sed intima, sed à nullo penitus pendens, non autem, qualis Angelorum est, done accepta! Enimverò fieri tantum opus non potuit sine summa violentia: cujus autem? amoris infiniti. Mirum proinde non est, quòd Virgo contemplans excessus abjectionis tam profundæ prorumperet in hos clamores *Magnificat Anima mea Dominum*. Si homo tunc dignus est tanto majoris fieri, quò magis se abjicit, quanto dignior erit DEUS?

Et exultavit spiritus meus in DEO Salutari meo.

I.

CONSIDERA, æquissimum esse ut Magnificetur à nobis DEUS mediis omnibus nostris facultatibus tam intimis, quàm externis; cum nunquam, ne à longè quidem, tam multas habere possimus, ut ad finem istum sufficiant: *Benedicentes DEUM, exaltate illum quantum potestis, major est enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute.* Non ita se habet Exultatio in DEO: hæc enim à nobis exerceri non potest, nisi in recessu nostri intimo, dum penitus in illo absorpti sumus; *Exultavit cor eorum in Domino.* Hinc ad sociam nobis operam in hac magnificatione jungendam facillè possumus invitare quemlibet, quemlibet incitare. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.* Neminem tamen invitare possumus, ut partem & ipse habere velit in exultatione, quâ gaudemus. *In gaudio ejus non miscebitur extraneus.* Qui hoc in se desiderat, necesse est ut ipse se præparet ad illud experiendum.

Hoc

Hoc ita posito, tu mox intelliges causam, ob quam Virgo, cum egit de magnificando DEO, dixit, quod magnificet illum operâ Animæ. *Magnificat Anima mea Dominum.* Quando egit de Exultatione, quâ Exultavit in DEO, quod exultarit in DEO operâ Spiritûs: *Et exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo.* Quid autem? An fortassis anima & spiritus non sunt una eademque res? Sunt una & eadem naturâ, sunt tamen officiis distinctæ. Anima Spiritus est, Spiritus Anima est; hoc omnes novimus. Anima tamen Anima dicitur, quando illas obit functiones, quæ corpus spectant, quales sunt, tribuere illi vitam, illud vegetare, illo ad actiones tuas proprias uti. Spiritus autem dicitur, quando sine respectu ad corpus, ut in se, quasi se solâ consideratur. *Unus, & idem Spiritus, & ad se ipsum Spiritus dicitur, & ad corpus Anima.* Ita S. Augustino placuit in hoc Canticum Magnificat. Quando igitur Virgo egit de magnificando DEO, Spiritui suo dedit nomen Animæ, quia ad magnificationem ejusmodi utebatur operâ etiam corporis tot vocibus laudis, ad quam excitavit hocce suo Canticò, quod totius Mundi auribus præcinuit. Quando egit de exultatione in DEO, è diverso Animæ tribuit nomen Spiritûs; ejusmodi enim exultatio manebat in ipsâ, nota ipsi uni; alius nemo illam sibi imaginari, nedum capere poterat.

Expresit quidem illa Magnificationem verbo temporis præsentis, exultationem autem verbo temporis præteriti, *Magnificat Anima mea, Exultavit Spiritus meus;* quia ab exultatione profundissima, quâ exultavit Spiritus Virginis momento, quo Verbum Carnem ejus in utero induit, provenit, ut idem Spiritus subinde non contentus operari modo, qui Spiritui proprius est, progrediretur tanquam

Anima ad ipsam etiam linguam DEI laude occupandam. Nostine quam ob causam tu DEUM tam parum magnifices? non ob aliam, quam quia in DEO parum exultas. Scrutare tantisper interiora tua, & attende, quæ sint tua gaudia, siquæ sentis; suntne sensilia tantum, an spiritualia? quin imò in solo spiritu difficile tibi est illa invenire. Id agis & cupis, ut spiritus in te semper operetur tanquam Anima, indulgendo semper sensibus quidquid concupiscunt; non operaris unquam tanquam spiritus, negando ipsis ad quod anhelant. Quid igitur mirum, si destitueris solatiis spiritus? Spiritus non potest unquam verè exultare nisi in DEO, tunc autem solum exultat in DEO, cum operatur tanquam spiritus. Necessè igitur est, ut tu procures in te ipso hanc Animæ à spiritu divisionem, quæ tam est exquisita. Sed quis illam efficiet? Idem qui illam effecit in Virgine, sermo DEI ritè conceptus: *Vivus est Sermo DEI & efficax, pertingens usque ad divisionem Animæ, ac Spiritus.* Altè in Animum demitte Axiomata Fidei, in quibus totus DEI Sermo consistit; & ecce, factam confestim in te, quam diximus, divisionem. Quanto siquidem Spiritus tuus ampliùs desiderabit operari cum DEO suo ut Spiritus, transformando se in ipsum quàm perfectè potest ut ipso fruatur, tanto minùs volet operari cum suo corpore ut Anima, præterquam quantum illud coget impendere se DEI causâ quantum uspiam potest.

Hebr. 4.
v. 12.

II.

2.2. q. 28. art. 1. **C**onsidera, Gaudij spiritualis fontes esse geminos, illos ipsos quos ei S. Thomas attribuit. Unus est illud bonum, quod in DEO ipso tam nullis limitibus clausum est: alter

alter est bonum, quod ex DEO in nos proficiscitur. Horum gaudiorum primum naturâ suâ semper majus est, quia est de bono summo, nullis usquam terminis clauso, & nunquam deficiente. Hinc est quòd Spiritus DEI amore captus, bono hoc semper plenè perfectèque gaudere potest. Alterum naturâ suâ semper minus est, quia est de bono finito & limitato, etsi nonnunquam spiritui magis sensibile videri possit, cum sit de bono, cujus & ipse particeps esse possit. Certum saltem est, quod primum istorum gaudiorum, tanquam nobilius præcedere semper debeat, alterum verò subsequi. Et en quàm præclare totum hoc & admirabiliter explicent verba Virginis. *Exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo*; dum dixit, *in DEO*, indicavit primum fontem gaudij, quo fuit cumulata; dum dein addidit *salutari meo*, indicavit nobis secundum. Primus fons erat DEUS in se ipso consideratus, sine ullo ad Creaturas respectu, & ad hunc designandum dixit, *in DEO*. Alter erat idemmet DEUS, sed factus DEUS salutis in assumendo homine: & ad hunc exprimendum subjunxit *salutari meo*. Sicut igitur ex omni numero purarum Creaturarum nulla fuit, quæ clariùs cognosceret, quale sit illud bonum, quo DEUS se ipso plenus est, nulla in quam plus de eodem bono dimanaret, sic quis capere etiam potest gaudium illud, quod ex utroque hoc fonte conjuncto profluxit in Spiritum Mariæ? Fuit gaudium illi simillimum, quo Beati in Cælo fruuntur; unde etiam vides, quòd illam confestim impulerit ad agendum quod ipsi faciunt, nimirum *Psal. 149. v. 5.*
ad exultandum: *Exultabunt Sancti in gloria.*

Quando Sancti in terris homines attento mentis obtutu contemplantur DEUM factum hominem verè gaudent, sed non exultant, semper enim illum vident sub velo: hinc

lo: hinc est quod quantum parte unâ se oblectant, tanto parte alterâ simul se affligunt. Cuperent revelata facie illud intueri, quod nunquam nisi sub nube & velo vident. Sed huic eorum desiderio nimium quantum adversantur sensuum facultates. Atque ita admirationis & amoris vi, succensi desiderio sensus hos deserendi, pro eo quod quiescant in eo quod vident, anhelant potius ad illud quod non vident, idque tam ardentem, ut à se nonnunquam exeant vehementissima ecstasi, quod non fieret, si haberent in se bonum illud immensum, quod exeundo à se quarunt extra se. Non ita se res habuit cum Virgine. Videbat enim, se illud habere intra se, & idcirco opus non fuit illi per ecstasim ire extra se. Beati Cælites, quando suis denuo vestientur corporibus, an & ipsi forsitan rapiuntur in ecstasim ut DEUM videant? Nequaquam. Ratio autem est, quia illud lumen, quod eis vim tribuit ad videndum, ut nullam habet cum sensibus connexionem, ita etiam eos liberos relinquit ad suas functiones. Nunc observa, ita rem se habuisse cum Maria. Plurimum verisimilitudinis habet opinio, quæ docet, ipsam dum protulit expectatissimas illas voces, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum*; vidisse sine velo DEUM descendentem in uterum suum ad humanos artus assumendos: idcirco sicut ad hoc non potuit non adjuvari vi alicujus luminis, quod lumini gloria non esset absumile, ita nec à sensibus alienata, aut ecstasim passa est: sed viso DEO aliud non fecit, quam ut exultaret confestim non in se, sed in ipso, eâ prorsus ratione, quâ exultant Beati Cælites ad primum illum obtutum beatificum, quem in DEO figunt: *Exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo*. Neque dixeris, simili exultatione gavisum quoque Davidem Regem, quando hoc ipsum DEI huma-

huma-

humanam carnem induti Myſterium velatum intuitus eſt. David ſiquidem, ſi bene verba ejus perpendimus, exultavit quidem ad ipſum, ſed non in ipſo: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum: in DEUM dixit, non in DEO.* Siquidem, ut doctè explicavit Hugo, *exultavit in ſpe, non exultavit in re.* Et hinc non ſolus tunc Spiritus, ſed & ſenſus exultârunt, *Cor & caro:* exultavit enim David ad DEUM, qualis media cognitione ænigmatica cognofci ab hominibus poteſt ſuo adhuc corpore circumdatis, ſed non in DEO, & in DEO, qualis *facie ad faciem* à Sanctis videtur in cælo. Quantum igitur par eſt te gratulari Virgini Matri illam exultationem, quæ ipſi obtigit: exultationem, cui ſimilem nulla unquam pura creatura, dum adhuc mortales ſuas exuvias circumtulit, experta eſt. Si tibi mortali hac in vita exultationem ſimilem ſperare fas non eſt, ora ſaltem Virginem, ut tali beata quondam in patria ejus precibus gaudere tibi contingat.

III.

CONſidera non ſoli Virgini, ſed toti ad eò humano generi Verbum factum eſſe DEUM ſalutis. Cuncti hoc credimus: & tamen ipſa hoc ita ſibi proprium fecit, ut illud non reſpiceret, niſi ut ſalutare ſuum. *Exultavit Spiritus meus in DEO ſalutari meo.* An ſine ratione hoc ita prolatum ab ipſa exiſtimabimus?

Inprimis illa ſic exemplo docuit, quid par ſit facere Fidelium quemlibet. Nemo non rectè credentium ut certiffimum tenere debet, Chriſtum veniſſe ut pro omnibus hominibus moreretur: *Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Huic tamen tanto beneficio par eſt reſpondere quem-

quemlibet haud secus, ac si pro uno ac solo ipso venisset. Nec est periculum, nequis in hoc quoquo modo fallatur. Ita venit pro omnibus Christus, sicut pro uno; ita pro uno, sicut pro omnibus.

Accedit, quòd, si Christus in Mundum venit pro omnibus, simul tamen Virginem à cunctis ita distinxerit, ut, si S. Bernardino assentimur, ille magis illius unius causâ venerit, quàm reliquorum simul omnium Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Apostolorum, Anachoretarum, aliorumque quorumcunque Electorum. Hoc autem posito, quomodo non illum Virgo appellaret Salvatore suum, suum Servatorem, qui si fingamus debuisse amittere aut ipsam, aut amittere ceteros ad unum omnes, elegeret potius facere jacturam ceterorum omnino omnium, quàm ipsius unius?

Tandem citra omnem ambiguitatem Virgo Christum suum dicere potuit, quia vera ipsius proles fuit. Omnis mater, quis dubitet? suum potest dicere filium, quem genuit. Sed quæ Mater jure majori quàm Maria? Matres aliæ sic filios suos generant, & esse ipsis tribuunt, ut fateri cogantur plus illos à patribus accepisse. Non ita Virgo.

Neque enim Filius ejus patrem in terris habuit, habuit solam Matrem: atque ita, si carnem spectemus, totus Mariæ fuisse dici potest. Deinde matres aliæ sicut ante quàm filios suos generent, eos non cognoscunt, sic quoscunque demum generent, eos casu quodammodo & cæco modo formare dici possunt. Et tamen illos suos dicunt. Quanto igitur magis Virgo Filium suum dicere potuit, quem certo consilio concepit? Scimus omnes, quis ea de re nuntius ab Angelo prius ipsi allatus sit. Et sic illa per prævium hunc nuntium non didicit tantum, quis esset, cui vitam se daturam

turam promittebat, sed illum insuper dilexit, aliis antehabuit, solum illum voluit, conchæ instar, quæ soli ipsi, tanquam cælesti rori castum aperiendo sinum promittebat insuper, quòd omni omnino alteri clausum esset servatura. Quòd cum ita sit, an non majori, quàm mater quælibet, jure suum dicere potuit, quem magis ipsa suum voluit? Prò quantum igitur dicere Virgo voluit cum dixit: *Exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo.* Meo dum dixit, suavissimum quod poterat dixit; illud enim dixit, quod efficacius posset exprimere amorem DEI erga ipsam, amorem ipsius erga DEUM, & nexum illum naturalem, quo mutuus iste amor nitebatur.

Jam si DEUS, qui erat DEUS salutis, tot modis ipsius erat, quis nobis igitur explicabit, quanto plus ceteris omnibus ab eo acceperit? Fuit illi JESUS Servator modo quàm fieri potuit perfectissimo; si enim hic servavit ac liberavit alios à malo postquam illud incurrerant, Mariam servavit è diverso faciendo ne incurreret. Nec isto contentus, quid non bonorum subinde in eam contulit? satis sit dixisse, quòd nunquam destiterit ipsam implere gratiis, donec plenam videret omni possibili genere plenitudinis; plenam inquam pro se, plenam pro aliis, & plenam supra alios omnes: plenam pro se plenitudine sufficiente; pro aliis plenitudine superabundante, & supra alios plenitudine omnem modum excedente. *In plenitudine Sanctorum de-
tentio mea.*

Adverte tamen ad tuum profectum, Virginem non exultasse in *Salute* in se collata, exultasse in *salutari*, seu dante; ut disceres, non oportere te unquam complacere tibi in donis à DEO in te collatis, sed in ipso solo DEO. Si complaces tibi in donis, nunquam verè exultare poteris;

C

id

id enim facis, quod quivis alius in terris peccator. Si complaces tibi in solo DEO, non poteris non exultare, id enim agis, quod Beati in Cælo nunquam non agunt.

Quia respexit humilitatem Ancilla sua

L

CONsidera, quòd si quis opacam illam nubem, quæ solaribus radiis rectâ percussa in se exprimit Parelion, interrogaret; unde in ipsa existat tanta pulchritudo, ut in hac ipsi propemodum Soli vix aliquid concedat? responsura esset, si sensu esset prædita, non aliunde eam pulchritudinem derivatam, quàm quòd amabili ipsam obtutu sol respexerit: *Quia respexit*: eaque causâ cum aliud ipsa in se non agnoscat, nisi congenitam sibi vilitatem, omnem è splendoribus à se tanta copia sparsis redundantem gloriam in unum Solem refunderet. En figuram illius gratitudinis, quâ erga DEUM sanctissima ejus Mater usa est, quando verba hæc omnia conjunxit: *Magnificat anima mea Dominum; & exultavit Spiritus meus in DEO salutari suo, quia respexit humilitatem Ancilla sua*: dixit nimirum, multum enim vero esse, in quo ipsa magnificaret DEUM, & in quo exultaret: hoc tamen quidquid, & quantumcunque esset, ipsi illi se debere, qui pro sua inæstimabili bonitate respicere ipsam dignatus esset: *Quia respexit*. Verum est, non dixisse, quòd ipsam, bene tamen quòd humilitatem ipsius respicere dignatus sit, *respexit humilitatem Ancilla sua*: ut ostenderet, nihil in se esse quòd respici mereretur; cum ad eò omnis boni inops esset.

Sentit se quis affici erga illos, in quos obratum desigit
ob do-

ob dotes pulchritudinis, bonitatis, blandæ agendi rationis, quas in ipsis observat. DEUS autem affici solet ob ea quæ conferre parat. Unde in re nostra aliud non fuit obtutus iste beneficus, quàm antecedens illa voluntas, quâ inde ab æterno DEUS decrevit tam multis gratiis Virginem exornare. Obtutus hic nullum supponit meritum, sed confert: & eâ de causâ vocatur obtutus beneplaciti, qualis scilicet fores ille Solis, si ejus in arbitrio positum esset hanc potius, quàm aliam nubem respicere. In pleno DEI arbitrio est, respicere Animam hanc aut illam, quam malit. Quem proinde singularem favorem in Virginem contulit, quando inter tam multas, quarum rationem nullam habuit, elegit ipsam, ut destinato tempore esset Mater ejus filij, quem missurus erat ut nostra se carne amiciret! Fuit enim vero favor iste tam omni cogitatione superior, ut non posset unquam cessare à DEO propter ipsum collatum glorificando, jubilandoque; hinc cum posset de Domino tuo dicere, *aspexit humilitatem Ancilla suæ*, maluit tamen dicere *respexit*; aspicere siquidem illa solemus, quæ ante oculos nostros sunt; respicere autem illa, quæ sunt à tergo: *noli respicere potest tergum*. Inde Virgo, quæ verè cognovit vilitatem propriam, in qua nos tantopere hallucinamur, ut indicaret, se quantum in ipsa erat dignam fuisse quam DEUS relinqueret, dixit quòd ille necesse habuerit ad aspiciendam ipsam retro obtutum vertere, actu tantæ Majestati non satis decoro. Quod si autem sola vilitas naturæ humanæ meretur ne illam, ut sic dicamus, DEUS dignetur suo obtutu, quid erit si vilitari etiam accesserit iniquitas? Certum est quòd *respicere ad iniquitatem non poterit*, ut dixit Propheta. Et tamen hic est ille favor, quo idem DEUS toties te persecutus est. Respexit te ut hominem, & ut

Gen. 19:
17.

Luc. 22.
v. 61.

hominem iniquum. De S. Petro Sacrae Literae dicunt, quod tunc duntaxat permotus fuerit ad culpam suam agnoscendam, quando conversus Dominus ipsum respexit; *Conversus Dominus respexit Petrum.* Quomodo igitur tu unquam cognovisses tuas culpas, si DEUS simili erga te pietate non esset usus? Semel duntaxat ira respicere Petrum oportuit: te autem o quoties! Visne igitur vivam tui imaginem intueri? en illam his Ecclesiastici verbis expressam. *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate. Et oculus DEI respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius.*

Ecccl. 11.
v. 12.

II.

CONSIDERA, ultra voluntatem, quam electivam dicimus, qua DEUS vult homini benefacere, esse etiam voluntatem executivam.

Prima subsistere potest, sine ullo merito, quod in homine videatur. Secunda sine aliquo merito, de ordinaria saltem lege, subsistere nequit. Hinc si DEUS nullis hominum meritis moventibus potuit ad gloriam caelestem illos eligere, quos voluit; non voluit tamen ut quisquam illam consequeretur sine merito, si modo mereri posset. Duo igitur fuerunt benefici illi obtutus, quibus DEUS respexit Virginem Sanctissimam. Unus Intentionis, ille nimirum, quo ab omni retro aeternitate illam destinavit ad dignitatem Matris DEI: alter Executionis, ille inquam, quo DEUS re ipsa praeparavit illam ad eam dignitatem. Obtutus primus non respexit in Virgine aliud praeter ipsius nihilum. Alter respexit illud nihilum ut jam locupletatum innumeris caeli gratiis, quarum ope Virgo debebat evadere exi-

se eximia in omni genere præstantissimarum virtutum, maximè autem Humilitatis, quæ quodammodo splendorem reliquis omnibus tribueret. Unde si nôsse desideras, quid Virgo intellexerit, cum dixit, *respexit humilitatem ancille sue*, utrum nimirum intellexerit humilitatem, seu vilitatem naturæ propriam, id quod plerisque Recentioribus Interpretibus videtur; an verò intellexerit virtutem Humilitatis, ut ferme censuerunt Antiquiores; non immeritò judicare potes, eam aut ex se, aut ut divino instinctu actam intellexisse utramque. Virgo non fuit electa ad dignitatem Matris DEI ullo suo merito. Atque adeò si spectemus voluntatem antecedentem, quam electivam diximus, rectè illa dixit, non inuenisse DEUM in ipsa aliud, quam vilitatem sibi congenitam, *respexit humilitatem Ancille sue*, hoc est vilitatem, juxta id quod paulò ante dictum est, *erexit eum ab humilitate ipsius*. Voluit tamen DEUS, ut ad dignitatem tam eminentem Virgo sese omni meliore modo perficeret nullo non genere virtutum, illius tamen præcipuè, quæ ipsi usque adeò grata acceptaque est, Humilitatis inquam. Et idcirco secundùm voluntatem consequentem, quam appellavimus executivam, rectè pronuntiavit Virgo, quòd DEUS respexerit Humilitatem, seu Animi sui demissionem: non defuit certè, qui huic virtuti gloriam attribueret, quòd Verbum è Cælo in terras attraxerit. *Humilitas Mariæ Regem Calorum attraxit in terram.*

Rich. à S.
Laur.

Neque dixeris; decuisse quidem Virgihem, mentionem facere suæ vilitatis, non tamen suæ demissionis (Animi enim demissio quò est ditior, hoc magis amat, maritimæ instar conchæ, hære in fundo) neque enim Demissio hæc cum recta ratione pugnat, quin potius ab illa pendet, si rectè Angelicus pronuntiavit. Recta autem Ratio non

2.2.q.161.
vult, art. 4, ad 3.

vult, ut homo non agnoscat dona, quæ à DEO accepit, sed ut illa sibi ipsi non adscribat: id enim nî ita esset, non
 1. Cor. 2. dixisset Apostolus: *Nos autem non spiritum hujus mundi ac-*
 v. 12. *cepimus, sed spiritum qui ex DEO est, ut sciamus, quæ à DEO*
donata sunt nobis. Et sic etiã recta ratio non vult, ut
 quando quis talia in se DEI dona agnoscit, æterno illa si-
 lentio sepeliat. Hoc unum vult, ut nunquam eorum me-
 minerit propriæ existimationis causâ, sed semper ob bo-
 num & profectum aliorum. Quid autem aptius erat ad
 debitam huic animi Demissioni æstimationem concilian-
 dam apud omne mortalium genus, quàm palàm cunctis
 facere, quòd hanc præ ceteris DEUS in Matre sua amando
 respexerit? *Humilitas*, si rectè Augustinus censuit, *pene to-*
ta Christiana disciplina est: atque adeò hujus quodammodo
 synopsis est. Unde ut nemo non seriam operam daret ob-
 tinendæ gemmæ tanti pretij, sapienter potuit DEUS san-
 ctissimæ lux Matri suggerere, ut maris quodammodo è fun-
 do extractam omnium oculis in maris superficie spectan-
 dam offerret.

Negari quidem non potest, quin ad hoc ut quis in
 Animi demissione eximius evadat, necesse habeat altè in
 suam vilitatem penetrare, donec intimè perspectam habeat.
 Et ideò credendum est, Virginem primo loco Humilitatis
 nomine propriam intellexisse vilitatem; secundo autem
 tantùm loco Demissionis Animi Virtutem; eoque magis
 quo vocis ipsius etymon primæ, quàm secundæ acceptioni
 apertius favet. Amasne tu scire causam ob quam tam
 modicos hætenus in Demissionis schola profectus feceris?
 alia hæc non est, quàm quòd nondum pertigeris ad agno-
 scendum quàm vilis sis: id si spectes, quod ex te es, tam

es vilis quàm ipsum nihilum. *Siquis existimat se aliquid esse Gal. 6. 3. se cum nihil sit, ipse se seducit.*

III.

CONSIDERA, his è verbis invicta arguendi ratione colligi veritatem quàm inopinatam, tam legitimam, fuisse scilicet Virginem ab omni noxa originis planè liberam. Nam si rem ipsam ut est perpendimus, quid tandem illa his verbis spectavit? Non aliud fanè, nisi ut tanto reluceret manifestius DEI beneficentia comparata nil tale merentis vilitati. Si igitur illa unquam, et si brevissimo tempore, peccato obnoxia fuisset, ut quid dixisset tantùm, quòd Dominus respexerit ipsius humilitatem? dicendum erat, quòd ne iniquitatem quidem respicere dedignatus fuerit: quanto enim major erubescendi Virgini causa fuisset dicere, *respexit iniquitatem Ancilla sua*, quàm solammodo *respexit humilitatem*? Dum igitur non ita locuta est, argumento profectò est, quòd sine veritatis injuriâ ita loqui non potuerit. Percurre historias vitæ quorumcunque Sanctorum, non invenies ne unum quidem, qui prætermiserit occasionem exercitandæ Demissionis tam masculæ, tantique meriti, qualis est ista, palàm se peccatorem profitendi. Ut quid igitur Virgo occasione tam commoda id ipsum facere neglexisset, si modò salvâ veritate potuisset? *Justus Prov. 18. prior accusator est sui.* v. 17.

Neque contra occinas, ita facere solitos Sanctos homines, quòd rei essent noxarum ab ipsismet admissarum; perinde ac si solæ istæ fuerint, quarum se agebant reos, non autem illa solius originis. Quæro enim ex te; An non Rex David ejusmodi peccatis non minùs quàm multi alij obnoxius

xius fuerit? Et tamen ad se magis deprimendum non aliam, quàm hanc apertius adduxit, quòd esset conceptus in peccato: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: perinde ac si in hoc tanquam funesto fonte continerentur alia adulteria, homicidia, & iniquitates aliæ haud sanè leves, quarum tamen speciatim reum se non est professus. Ut quid igitur Virgo omisit imitari exemplum tam egregium, à Rege progenitore suo sibi datum? An in Psalmis toties illud non legerat? non probabat? non æstimabat? ut quid imitari non est dignata? nulla afferri hujus silentij causa potest, quàm quòd non potuerit nisi mentiendo: nulla autem Demissio sincera sine comite veritate; quâ sine non virtus, sed vitium foret tam turpe, quàm deforme est mendacium.

Tu interim bono tuo adverte animum ad rem summâ dignam ad miratione. Demissio Virginis tanta fuit, ut potuerit, quod jam dicebamus, pellicere Verbum divinum ad descendendum de cælo in terras. Nihil tamen unquam vel minimum habuit Virgo, cujus ream se ageret. Tu qui tam multum habes, de quo non tantùm accuses te, sed planè erubescas, an tanta forsân es animi demissione, quantâ Virgo fuit? quin imò tantum abes ab ea virtute, ut multum tibi conandum sit, ne plenus sis animi elatione. Cogita igitur, an tua vilitas tantum in te possit ut te demittas, si ne iniquitas quidem id efficere potest. Submissio animi videtur debere esse virtus Peccatorum propria. Et tamen (quis non obstupescat?) in nemine illa unquam major fuit quàm in Sanctissimis quibusque. *Disci-*

te à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Ecce

*Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes Gene-
rationes.*

I.

CONsidera, Virginem quamdiu inter mortales vixit, non minus quam alium quemvis, Viatricem, ut dicimus, fuisse seu gratiam spectemus, seu gloriam. Spectando gratiam fuit Viatrix, cum non solum primo momento conceptus sui donata non fuerit omni gratia, quam erat habitura, ut illam habent beati Caelites, sed ne quidem eam consecuta est unquam, dum carnem mortalem circumtulit. Imò auxit illam & accumulavit momentis singulis, donec illum congereret cumulum, quem omnes scimus. Neque tamen hinc consequens est, quod illa unquam minorem habuerit gratiam, quam ipsi in Cælo Beati possideant; fieri enim nonnunquam potest, ut gratia Viatoris cujuscumque longo intervallo superet gratiam alterius finem suum in termino jam possidentis. Fuit etiam vera Viatrix, si gloriæ rationem habeamus; si enim illa per intervalla vidit sine velo pulcherrimam DEI faciem, ut Sanctorum varij censuerunt, is tamen Intuitus stabilis non fuit & permanens, qualis Beatorum in cælo est, sed interpolatus, sic ut ipsa etiam ad finem usque peregrinationis suæ ambulaverit in fide.

Non potuit proinde dici, quod Virgo beata esset hæc in vita illâ ratione, quâ beata fuit mox atque in Cælum admissa est; soli siquidem Christo, tanquam filio naturali DEI, debebatur beatitudo vel à primo momento, quæ aliis ut finis obtinendus proposita est. Omnes alij promereri illam debuerunt ut bravium, & in hoc eadem fuit Virginis
D conditio,

conditio, quæ ceterorum, non corpus tantum spectando, sicut Christi (quâ de causâ is Viator simul fuit & Comprehenfor) sed etiam animam, quæ sursum tendit instar flammæ, quæ hîc se suâ spherâ & loco debito exulem detineri novit. Quantopere proinde tu hallucinareris, si tibi persuaderes, Beatitudinem mortali in vita consistere in eo, quòd quis eximius sit à re quacunque adversa toleranda? an non audis dicentem Virginem, beatam se appellandam ab hominum generationibus inde usque ab illo momento? *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Interim perbene novimus, quòd inde ab illo momento subjecta fuerit ferendis gravissimis molestiis, quærendi instar exulis ac peregrinæ rectum quo reciperetur, & hospitium, quin tamen illud inveniret: pariendi divinum suum Filium in caverna inter geminas malè olentes bestias: videnti illummet vix natum quæri ad necem crudelem à sexcentis gladiis: profugiendi nocturno tempore in regionem longinquam, ibique inter plurima incommoda commorandi: tolerandi tot injurias, tot contemptus, quàm multis illa se pessimè habitam vidit ab ingrato suo Populo, uti & Filium, quem prosequeretur amore majori longè quàm semetipsam; ferendi denique in animo omnes illos cruciatus tam acerbos, quos Filius pertulit in corpore, dum ad extremum usque mansit immota in immani illo supplicio, quod coëgit solem, ut in mediâ diurni sui cursûs orbitâ vultum suum densis tenebris obvelaret.

O quantopere igitur falleris, si inducis in animum, beatam illum esse, quem nihil cruciat! hæc futuræ vitæ beatitudo est, fateor, sed non est hujus, quam vivimus. Quin imò hujus vitæ beatitudo est tolerare quamplurimum DEI amore; Cùm enim, ut constat, geminæ sint homines Christi-
stiani

stiani beatitudines, una *in re*, quæ est Comprehensorum; altera *in spe*, quæ est Viatorum, tanto horum quisque beatior censendus est, quo plura illum adversa premunt (*si quid patimini propter justitiam, Beati*) sic enim majori fundamento, majori securitate sperare potest beatitudinem propriam Beatorum. *Beatur vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vite.*

II.

CONSIDERA, quid igitur esse debuerit, quod Virgini tribueret titulum Beatæ apud omnes generationes? Fuit gemina illa fors, de qua locuti sumus meditatione antecedente: illa nimirum quâ electa est ad dignitatem Matris DEI; & altera, quâ tali electioni ad amissim respondit. Prima enim vero fuit fors sublimis & excelsa: secunda tamen profectò illâ minor non fuit: si enim prima, gratia fuit, altera & gratia & meritum fuit. Sanè Virgo dignitatem Matris DEI promerita non est ut debitam ulli suo operi; ista enim, etsi merito aliquo obtineri posset (posito saltem Incarnationis Christi decreto) non tamen erat à DEO proposita ut præmium à quacunque creatura promerendum. Non minùs tamen certum est, Virginem tali dignitati ad amissim respondisse. Si nôsse velis, quâ in re situm sit hoc respondere, en illud paucis. Consistebat in eo, ut se pararet ad dignitatem Matris DEI priusquam eam acciperet; & ut se gereret sicut decebat Matrem DEI, postquam eam accepit.

Ad primum quod pertinet, pronuntiavit de illa S. Ambrosius, quòd *digna fuit, ex qua Filius DEI nasceretur*. L. 2. de Nec dissimile aliorum Sanctorum Doctorum idioma fuit. Virg. Hoc autem quomodo tandem verè ab illis dici potuisset,

si in ipsa defuisset præparatio tantæ soboli debita? Non nescio, præveniam à DEO Virginem gratiâ respondente: neque enim, ut aurum terra parturiant, satis est ut illam Sol non aliter radiis suis pervadat, quàm cum lilia florésque alios parere debet. Gratia tamen ista futuræ dignitati respondens otiosa à Virgine relicta non est; sed potius cum illa inde à primo conceptus sui momento sic est negotiata, ut quando subinde adfuit tempus excipiendi sinu suo Verbum æternum, hoc Verbum ægrè visum sit quodammodo ferre moram in obtinendo illo consensu, quem hoc in negotio ab ea signis non dubiis expressum voluit: & mox atque illum obtinuit, sine mora eò se contulit, ut quiesceret non solum qualicumque, sed suavi valde cum oblectatione. *Dilectus meus descendit in hortum suum.* Hinc factis Doctoribus visum est, illis verbis *Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum* elicuisse Virginem actum Fidei tam stupendum, attentis objecto tam sublimi quod credidit, firmitate quâ credidit, & obstaculis quæ superavit ut crederet, ut tunc posuerit ultimam dispositionem ad introducendam formam tam nobilem, qualis fuit, efficere filium suum naturalem illum, qui ad eam usque diem so-

Serm. 13. de Nat. Dom. lius DEI filius fuerat. *Singulari fide subnixæ DEI Filium, Filium suum fecit.* Sic locutus est S. Augustinus.

Quod autem spectat ad gerendum se sicut decebat Matrem DEI, postquam jam eam dignationem accepit (qui erat alter fons Beatitudinis suæ prædicandæ) hoc sufficiat, quòd ipsa, iis quæ Filij sui causâ præstitit obsequiis, merita sit nomen *Socia Redemptionis*. Dixi *Socia*: jam enim scimus, illam ad Mundi Redemptionem nulla re mediante non potuisse operam conferre, cum eam ad rem opus sit Sorte principali nimium quantum abundante, omnis seilicet

licet mensuræ experte, planèque infinita: operam tamen suam contulit alio mediante, dum ut Mater consensit in rem tam arduam, Filij inquam mortem in Cruce subeundam. Constat apertè, noluisse DEI Verbum humana se carne vestire, quin illa consentiret, ut jam antè innuimus; quanto igitur verosimilius est, quòd etiam absque simili consensu & annutu materno noluerit eandem exponere morti ferali in ligno geminos inter latrones subeundæ? Hinc amatissimam suam Birgittam his ipsis verbis affari potuit: *Ego & Filius meus redemimus Mundum quasi uno corde.* Lib. 8. Non alià illa de causâ, tanta fide, tantâ constantiâ hæsit ad Crucis pedem, quàm ut planè perfectèque absolveret oblationem, quâ tam caram prolem pro totius Mundi salute sacrificârat.

Beata igitur procul dubio fuit Virgo ob dignitatem tam sublimem Matris DEI, ad quam est evecta: sed non minus beata ob studium exactissimum, quo eidem respondit. Prioris Beatitudinis principium fuit voluntas electiva, quâ Magnus ille Pater eam ad tantam celsitudinem destinavit; alterius voluntas, quam diximus, executiva. Atque ita pulcherrimè inter se consentiunt causæ, quibus sub idem tempus Virginis Beatitudo adscribitur. Dum enim eandem Virgo ipsamet adscripsit obtutui, quo illam respexit DEUS adhuc omnis boni inanem. *Magnificat anima mea Dominum, quia respexit humilitatem ancilla sue; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Elisabeth Cognata eandem adscripsit præstantissimæ fidei, quâ Angeli dictis credidit: *Beata que credidisti, quoniam perficientur ea, que tibi sunt dicta à Domino.* Elisabeth explicuit causam tantæ Beatitudinis secundariam, Virgo autem ipsa primariam. Tu autem hinc ad profectum tuum

collige, causam hanc utramque sic esse colligatam, ut neutra stare possit absque altera. Quare quàm necessarium est, ut eligat te DEUS ad præstandum aliquid proferendæ suæ gloriæ, tam necessarium est, te subinde ejusmodi electioni respondere.

III.

CONSIDERA, sacros Interpretes communi sensu tradere, eluxisse his è verbis egregium Prophetiæ donum, quo Virginis spiritus afflatus fuit: hoc enim illa percurrrens singillatim futura secula omnia pronuntiavit, se in iis omnino omnibus Beatam prædicandam: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* An videre cupis, quomodo vaticinio eventus responderit? observa quòd quando dici audis, *Beata Virgo*, non potes ambigere an sermo sit de Beata Agnete, de Beata Cæcilia, de Beata Agatha, Beata Catharina aut Apollonia, etsi omnes istæ etiam Virgines sint. Certus es, quòd de sola Virgine Maria sermo sit: usque adeò nomenclatura tam præclara absolutè data non alterius esse existimatur. *Beatam me dicent.*

Cœpit hæc appellatio viventi etiamnum tribui: *Beatus venter, qui te portavit*: sic ut passibus planè iisdem, quibus Christiana Fides per Orbem propagata est, iisdem etiam summa Matris DEI Beatitudo sit propagata. Si jam olim beari æstimabantur illi Christi asseclæ, quibus inde à principio nascentis Ecclesiæ illam coram intueri concessum fuit, quem ad finem (ut de S. Dionysio sacri Annales tradunt) iunera permolesta aggrediebantur, ut Nazarenum pervenirent, ubi illa paupere in domicilio morabatur, quanto putamus magis Beata illa existimanda fuit, ad quam
tende.

tendebant? Secutis autem ætatibus ad illam Beatam prædicandam admirabili consensu Gentes ac Nationes planè omnes sua studia contulerunt. Eà de causâ si plures aliæ Virgines in Ecclesia Beatæ sunt, ipsæ quoque Beatæ quidem existimantur, sed non omnes eodem modo ab omnibus Beatæ dicuntur. Hæc apud istius, altera apud alterius Nationis Christianos magis Beata prædicatur. Nulla est, quæ non æquali ratione Virginem Matrem Beatam dicat. Proficiscere quocunque vis locorum: non poteris pronuntiare, quænam Natio ceteris in prædicanda Virgine primas præripiat. Singulæ se magis illius honori addictas devotâsque profitentur: sic ut dum Virgo dixit *Beatam me dicent omnes generationes*, videatur dicere voluisse, *certatim dicent*.

Et quod hac in re magis mirandum est, videre licet, hoc ejus colendæ celebrandæque studium ac fervorem, ne post tot quidem seculorum lapsum imminui atque tepescere; sed augeri potiùs intendique. Unde quamquam in aliis exercitationibus sacræ pietatis videri possit Orbis Christianus potiùs deficere, quàm proficere, in Virgine tamen colenda semper proficit. Et quâ id aliâ causâ, nisi ut hoc ejus Vaticinium effectum sortiatur? & quis jam ambigat, dum ita vaticinata Virgo est, quin jam tum prospexerit, quidquid deinceps Ecclesia eo in genere esset factura? Non est dubium, quin sacri Vates perfectè id intellexerint, quod prælagiebant, quia id ipsi beati Genij aperuerant, quibus DEUS ministris utebatur ad mentes eorum collustrandas, quæ est Angelici doctrina. Quanto magis igitur id etiam Virgo perspexerit, quam non Angelus aliquis, sed ille qui ipsos illustrat Angelos, Verbum inquam ipsum divinum ejus clausum utero futuros eos eventus edocuerat? An autem

rem

tem inter, qui ardore tanto in colenda Virgine certaturi erant, eamque celebraturi, te quoque providit? si providit, gaude, meritò enim id facturus es. Tu Beatam diceres Virginem, & ipsa vicissim te faciet. Noli metuere, ne unquam se à quoquam illa officiis vinci patiatur. *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.*

Eccl. 24.
v. 3.

Quia fecit mihi magna qui potens est, & Sanctum Nomen ejus.

I.

CONSIDERA, res illas quæ magnitudine sua multum superant humanam intelligendi vim, difficulter admodum speciatim explicari posse; & idcirco explicari melius generatim; sicut videmus factum ab Apostolo, ubi dixit, se dum in cælum raptus est, audivisse inibi *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ne igitur mireris, quòd cum Virgo hîc meminisse vellet beneficiorum quæ à DEO acceperat, ne unum quidem eorum speciatim expresserit, sed dixerit tantum: *Fecit mihi magna qui potens est.* An autem fortassis ita dicendo parum dixit? Negari non potest, quin quæ facit DEUS, respectu ipsius semper parva sint. Et tamen en rem admirandam! Ille Virgini *Fecit magna.* Quid ergo dicere ipsa plus potuit, ut collata in se à DEO beneficia exaltaret? Si advertis animum, observabis DEUM in donorum suorum distributione posse esse erga res à se conditas Justum, Munificum, & Magnificum. Justus est respectu rerum naturalium, quia cunctis à se conditis dotes naturæ ipsarum proportionem suam respondentem, sic Soli lucem, Aeri refrigerandi, Aquæ abstergendi, Terræ germinandi vim, tribuit. Munificus est in ordine Gratia,

etæ, in hoc enim plus largitur, quàm natura rerum singularum exigit, quas suis beneficiis exornare vult, attollendo eas ad conditionem, ad quam nihil juris ipsis compete-
bat. Magnificus est in ordine Gloriæ, ibi enim confert dona grandia; nec grandia solùm respectu illius, qui ea accipit, sed etiam respectu illius, qui ea confert. Illis siquidem ostendit DEUS, sibi propositum esse, eò pertingere, ultra quod Potentia sua non se extendat. Et verò talis omnino est Cælestis Gloria. Ibi enim quando DEUS Beatorum cuilibet dedit se totum, non habet ultra, quod possit dare. *Ego ero merces tua magna nimis.* Et si quantumcunque Beatis se ipsum det, dat tamen tantùm viâ Visionis, Adhæisionis, Amoris, & Fruitionis. Non se dat modo intimæ Conjunctionis, quo se dedit Christo. Hinc Unio, quam Hypostaticam dicimus (quæ includit etiam Jus naturale ad Visionem Beatificam) sine ulla mensura excedit omne bonum Beatis collatum. Et idcirco illa non solùm est donum magnum, sed donum maximum, donum quod totam quodammodo exhaurit DEI Potentiam nullis ceteroquin limitibus clausam. Summa porro illa Magnificentia, quàm erga Christum DEUS exeruit, causa fuit, cur eandem proportionem suâ exereret erga Virginem: sicut enim facere non potuit, ut Christus major esset in ratione Filij, sic neque potuit efficere, ut Maria major esset in genere Matris. Christus in genere Filij summus fuit; fuit enim Filius naturalis; & Maria summa fuit in genere Matris, quia fuit Mater DEI naturalis. Hoc autem cùm ita sit, an non existimas Mariam verè dicere potuisse, *Fecit mihi magna, qui potens est?* Ostendit se erga Virginem DEUS non tantùm Justum, non tantùm Liberalem & Munificum, verùm etiam Magnificum, sic ut eam in ordine con-

E

stitue-

Ifa. 43.
v. 19.

stitueret, ultra quem non erat ordo, ad quem illam porro eveheret. Quando proinde de Virgine cogitas, non persuadeas tibi unquam, quod cogites de Creatura ejusdem cum aliis conditionis; etsi enim pura Creatura sit, ejusmodi tamen est, ut excellentiâ suâ reliquas omnes simul junctas superet: unde aliis *dedit* quidem *magna* qui *Potens* est, Virgini autem *fecit Magna*. Ut enim talem Matrem constitueret, necesse habuit facere ordinem planè novum (ordinem quem nec Angelorum intelligendi vis pernoscat) qualis fuit ordo *Incarnationis*; *Ecce ego facio nova, & nunc orientur*. Sic ut, quod facilè perspicias, ne Angeli quidem unquam talem intelligere Matrem potuerint. *Tanta est perfectio Virginis, ut soli DEO cognoscenda reservetur*, ut dixit S. Bernardinus. Et tu cogitatione tua magnitudinem ejus exhaurire te posse credis? tunc id fiet, quando pertinges ad divinæ Potentiæ magnitudinem pernoscendam; priùs enim intelligere non poteris quanta sit Mariæ Virginis Magnitudo.

II.

2.2.q.134
art. 3.

CONSIDERA, quòd quemadmodum proprium Magnifici est facere magna, ita etiam ad eum pertineat facere *magnum sumptus*, sine quibus opera magna non perficiuntur. Ita S. Thomas docuit. Unde hæc virtus Divitum propria est: cum pauper animo quidem, sed non opere, magnificus esse possit. Quis igitur unquam explicare poterit, quàm ingentes fuerint thesauri, quos in Virginis Animam DEUS effudit, ut magnificum se erga illam, & magnificum ultra modum demonstraret? Dixi, ultra modum, seu mensuratum; vide enim quæ fuerit mensura Magnificentiae erga illam exhibitæ:

hibitæ: fuit Potentia Divina & Sanctitas. Quis autem nescit, utramque hanc nullis terminis finire? *Fecit mihi magna qui Potens est.* Habes hîc mensuram primam: & *sanctum nomen ejus*, quod consueta apud Hebræos phrasi idem est ac, & *qui Sanctus est*: en secundam.

Jam supra consideravimus, tam admirandas Mariæ Virginis Magnitudines ad duo capita reduci: ad electionem, quâ DEI Matris ad dignitatem destinata est; & ad studium non interruptum tantæ dignitati in omnibus respondendi. Electio rota debetur decreto, quo ad talem dignitatem DEUS Virginem prædestinavit; pars altera decreto executionis: hinc respectu decreti prioris dixit Virgo; *fecit nihil magna qui Potens est*, respectu posterioris, *Fecit mihi magna qui Sanctus est.*

Præparare DEO Matrem, idea fuit tantæ sublimitatis, ut, quod jam ante innuimus, dici possit, quòd Omnipotens limites quodammodo Potentiæ suæ attigerit: cum possit quidem producere Cælum stelliferum splendidius & pluribus ornatum sideribus, quàm sit illud, quod nunc attenti suspicimus; Olympum altiolem, Oceanum vastiolem, Terram magis feracem metallorum, arborum, animalium: non possit tamen producere Matrem majorem illâ, quæ DEUM filium suum habeat. Ut hæc dignitate crescere posset, necesse esset ut & ipsi DEO aliquid dignitatis accederet. Donec igitur DEUS isto major inveniat, quem suo illa utero clausum gessit, ne Mater quidem major inveniretur. Quàm rectè igitur illa hoc respectu dixit: *Fecit mihi magna, qui potens est?* in hoc enim primum locum Potentia Patris habuit, ut ostenderet, quousque se porrigeret, non autem habuit Sanctitas.

Ut porro subinde Virgo digna DEO Mater evaderet,

E 2

tanta

tantâ opus fuit Gratia multitudine, ut in omnibus simul
 Conc. c. Sanctis reliquis exornandis tanta expensa non fuerit. In-
 de dormit. ter Matrem DEI, & servos DEI infinitum est discrimen; aje-
 Deip. bat S. Joannes Damascenus. Si ergo tanta tamque copio-
 sa fuit Sanctitas collata in Servos DEI, qualem & quantam
 esse oportuit, quæ in Matrem collata est? Tantam esse oportuit,
 ut infra DEUM major intelligi non possit, si rectè
 De Excell. Anselmus definivit: *quâ nequeat major intelligi sub DEO.*
 Virg. Si Philosopho credimus, *Honorabiles sumptus sunt maximè,*
 Eth. c. 2. *qui pertinent ad Sacrificia;* & propterea in his maximè Ma-
 gnifici sese exerunt; quia non est periculum ne modum ex-
 cedant. Quare si è Virgine proditura erat excellens illa
 S. Th 2.2. Victima, quæ post seculorum lapsum immolanda erat pro
 q. 134. reparando humano genere, qui tandem sumptus ad finem
 art. 2. ad 3. tam nobilem superflui futuri erant? Nostine quantæ fue-
 rint opes, quæ ad struendum Salomonis templum expen-
 sæ sunt, etsi in hoc præter boves & arietes Sacrificia alia
 non essent offerenda? Collige hinc opum abundantiam,
 quæ impensæ sunt ad struendum Templum tanto nobilius,
 quale fuit Virgo Beata, cujus in sinu cœpit Sacrificium,
 quo se ipsum Patri æternum Verbum obtulit, & intra cu-
 jus brachia ad Crucis pedem consummatum est. Quàm
 rectè igitur etiam respectu hujus dixit *Fecit mihi magna qui*
Sanctus est: cum hoc in opere potissimæ fuerint partes Spi-
 ritus Sancti? Atque ob hanc causam non dixit Virgo diser-
 tè, *qui Sanctus est,* sed *qui Sanctum Nomen habet;* ut indica-
 ret, sibi sermonem esse de illa Sanctissimæ Triados persona,
 quæ nomen Sanctæ gerit.

En igitur, quâ ratione DEUS magnificum se in Virgi-
 ne ostenderit, *fecit magna;* si enim Magnificencia consistit
 in concipiendis Ideis rerum sumptuosarum præcipuè ad di-
 vini

vini honoris propagationem, & in iis subinde executioni mandandis, perpende an DEUS in gemino decreto ante dicto verè magnificus fuerit Virginis gratiâ! Quid superest igitur, nisi ut tu, cùm animo concipere tantas opes non possis, quibus illa locupletata est, saltem non erubescas supplex illi accidere, ut tuam & ipsa inopiam juvare non gravetur?

III.

CONsidera, Virginem non tantùm dicere potuisse, quòd DEUS illi fecerit magna humani generis bono, sed quòd etiam fecerit per Ipsam, dum ad Incarnationis Mysteria operam modo tam præstanti contulit, quàm superiùs declaratum est. Nihilominus ipsa nimium quantum ode- rat omnem jactantiæ speciem: & ideo pro eo quòd diceret *Quia fecit per me magna qui potens est*, dicere potiùs voluit, *fecit mihi magna*: cùm libentiùs meminisset quantum à DEO acceperit, quàm quantum ipsa dederit ad illum hu- mana carne vestiendum.

Non tamen diffiteri possumus, quin ita locuta sit Sancto Spiritu verba suggerente, ut intelligeretur, quomodo Incarnationis Mysterium, ceteroquin tam ineffabile, non tantùm mediâ ipsius operâ peractum sit, sed peractum eti- am ratione speciali ipsius causâ. Rectè igitur primò dixit *Virgo fecit mihi*, quia non fortuitò illam Matrem habuit di- vinum Verbum, sed è millenis & millenis, quas perinde eligere ipsum potuisset, nullam tamen earum rationem ha- buit, electa ipsa est. Nos eligere Matrem non possumus, quam vellemus; Verbum eligere illam potuit, & elegit. Et cùm hoc ita haberet, non potuit Virgo dicere *fecit mihi*? quandoquidem honor, quo DEI Mater effecta est, non alio

E 3

nomine

nomen in ipsam collatus est, quàm specialis erga ejus personam benevolentia.

Potuit dein etiam Virgo secundario dicere *fecit mihi*, quia licet Verbum de caelo descenderit totius humani generis bono, tamen solius ipsius causâ potius descendit, quàm reliquorum, quocunque demum numero sint, omnino omnium: adeò ut Sanctus Ildephonsus non dubitaret dicere, *Virgo, Mater DEI, solum opus Incarnationis DEI mei*. Non quòd Maria sola spectaretur à magno illo artifice, sed quòd præcipue: *Primigenita Redemptoris*; Quia ejus solius servandæ causâ, ut jam aliàs dictum est, potius venit Verbum, quàm reliquorum omnium servandorum gratiâ.

Tertio loco potuit Virgo dicere, *fecit mihi*, quia ad ejus preces Verbum adventum suum acceleravit, quo hominum genus reliquum indies se minus dignum præstabat tot modis DEUM irritando.

Quodsi Virgo modo ac ratione tam singulari prærogativis tam exquisitis præ omni feminarum græge cumulatam se vidit, mirumne videri debet, quod grati animi præferendi studio in hæc verba proruperit, *fecit mihi magna, qui Potens est, & Sanctum nomen ejus*: cum DEUS nihil unquam majori à nobis jure postulet, quàm professionem gratiarum, quibus nos prævenit maximè cum in iis conferendis non munificus tantum, sed & Magnificus fuit. Liberalitati vices reddere potest etiam Pauper, sed non Magnificentia. Nam & Pauper liberalis esse potest in remunerando: nam si non reddit quod deberet, reddit saltem quod potest. Non ita fieri potest in Magnificentia: hæc enim in illo solo est, qui non tantum quod potest, reddit, sed qui re ipsa multum & quantum decet, reddit. Hinc consequens est, quòd Magnificentia, præsertim divina, respon-

sponderi aliter non possit, quàm illam laudibus extollendo, ut Virgo in præsentì præstitit. Et si tu rem gratam Virgini præstare eupis, en in quo occupare te debeas; in agendis summo DEO gratiis pro favoribus in ipsam collatis: idque tanto magis, quia etli hi collati sunt in ipsam propter ipsam, cur tamen tanto numero & pondere collati in ipsam sunt, nisi ut ab ea in te dimanarent?

Et Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.

I.

CONsidera, ne ambigeremus de veritate jam nunc proposita (quòd favores collati Virgini, etli collati essent ipsiusmet gratiâ, tantâ tamen abundantia congesti fuerint, ut etiam in te dimanarent) mox atque dixerat, *fecit mihi magna qui potens est*, confestim subjunxisse; & *Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum*. Et verò quid est, quod in te extinguit fiduciam aliquam etiam eorum favorum partem accipiendi? an non infelix conditio tua? Vult ideo Virgo, ut inter plurimas dotes ac perfectiones, quas DEUS habet ad hoc paratas, ut in te sit munificus, tu possimùm obtutum defigas in Misericordiam. Poterat dicere *Clementia ejus à progenie in progenies timentibus eum*. Aut certè *Bonitas ejus*, *Benevolentia ejus*, *Liberalitas ejus*; Ita autem loquendo bene locuta esset etiam respectu tui; sed non esset locuta satis. Clementiæ finis est, mitiùs judicare de noxis admissis, & moderari atrocitatem pœnarum. Bonitas major erga meliores exercetur. Benevolentia plus meliùs meritis exhibetur. Liberalitas dona magnâ copiâ largitur, sed non nisi dignis recipere. Atque

que idcirco ab his virtutibus, etsi omnes boni publici rationem habeant, non tamen omnes æquâ portione sperare possunt. At Misericordia quem non ad paria speranda excitat? Pōtiùs ubi miseria major est, ibi Misericordia campum nacta est, ubi triumphet. Quomodo igitur non animos tibi addit Virgo, & ad ingentem fiduciam excitat, dum certum te reddit, quòd *Misericordia ejus sit à progenie in progenies timentibus eum?* Transit DEI Misericordia à generatione in generationem. O nuntium felicem! continua igitur est, maxima est, omnibus communis est; cùm aliâ ratione verum censeretur non possit, quòd plus quàm omne flumen regium, tantâ abundantîâ, & inexhaustâ fluat per orbem universum, siqui uspiam aggeres essent, quos ipsa suo impetu ac viribus non perrumperet; aut si ullæ uspiam abyssi essent, quos illa plenissimo alveo suo non impleret.

Negari equidem non potest, Virginem hîc per divinam Misericordiam speciali quâdam ratione intellexisse divini Verbi suo in sinu peractam cum humana natura conjunctionem. Hæc sicut naturâ suâ nullis cujusquam bene meritis deberi potuit, sic profectò fuit Misericordia tantæ perfectionis puritatisque, quantam DEUS erga humanum genus exerere poterat. Unde olim hoc nomine potiùs, quàm alio quocunque fuit adumbrata. Hæc fuit Misericordia primis Parentibus promissa; hæc ab iis tot seculorum decursu desiderata; hæc tot votis expetita; hæc celebrata, hæc ob eorum oculos semper versata, tanquam unica Salutis cynosura: *Misericordia tua ante oculos meos est:* in hujus siquidem fide, & non aliter, sperari poterat salutis portus. Hæc tamen Misericordia si in Virginis sinu originem suam nacta est, ab una tamen progenie ad alteram,

ram,

ram, juxta Virginis Vaticinium, promanare debebat rivis copiosissimis. Et si enim non nisi Hebrææ genti esset promissa, debebat tamen à Judæa dimanare ad nationes etiam alias ex aliis, quamlibet à vero DEI cultu & natione Hebræa alienos, Nili instar, qui nullis ripis posset coërceri. Et tu dicere possis, non videre te effecta ejus Misericordiæ, quotidie latiùs omnium Populorum bono propagatæ? *Misericordia Domini plena est terra.* Perpende quousque illa progressa sit! Nemo adeò extremè miser est, ut ea juvante non ad summam aliquam felicitatem evehi possit. Sit Peccator quàm profligatus, quàm perfidus reperiri uspiam potest; modò ipse velit, potest & ipse ad insignem quandam vitæ sanctitatem pertingere.

II.

CONSIDERA, quanto jure & quàm meritò promiserit Virgo hanc tantæ Misericordiæ, modò dictæ, propagationem, cùm Ipsa ejus Mater fuerit, *Mater Misericordiæ.* An audivimus illam appellari Matrem Divinæ Potentiæ, Matrem Supientiæ, Matrem Sanctitatis, Matrem Justitiæ? haudquaquam sanè. Fit hoc idcirco, quia dum Carne nostra mortali se DEI Verbum vestiit, nihil quidquam illi aut Potentiæ, aut Sapientiæ, aut Sanctitatis, aut Justitiæ accessit, quòd non jam antè se solo haberet: multum tamen illi Misericordiæ obvenit. Non ignoras, Angelico docente, geminas esse Misericordiæ dotes: Una est dolere miserias alienas, perinde ac si propriæ essent; altera opem iisdem ferre. Ad hanc porro opem ferendam DEO necessarium nullo modo erat carnem nostram induere, cùm jam tanto ante quàm illam assumeret, dici posset aliud non præstitisse, quàm ut opem homini in sinistris suis casibus af-

F

ferret.

Heb. 2.
v. 17.

ferret. Opus illi carne erat, cum duntaxat in finem ut dolere posset. Et quia amoris excessu huc quoque venire ac progredi constituerat, ideo non contentus quòd DEUS tantum esset, homo quoque factus est, & homo qui nihil ab aliis diversum haberet in omni genere dolorum, quod citra culpam esset. *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.* Quare si Virgo dedit DEO hanc Misericordiam adeò ipsi novam, quid mirum est, si promittere illam potuit tam sine hæsitatione omni populo? Disponit de illa tanquam re propè dixi sua. Atque ita vides, effectam ipsam communem quodammodo Misericordiæ arbitram, cum ad eam obtinendam plus ipsa una ac sola valeat, quàm ceteri beatæ patriæ inquilini omnes.

Quamquam ad hoc animum oportet advertere, quòd beneficium Incarnationis (è quo in DEO Misericordia nascitur) quamvis ad omnes sese porrigat quantum spectat ad sufficientiam, non tamen ad omnes pertineat quoad efficacitatem. Hoc autem inde est, quia efficacia etiam ab acceptatione pender, quâ beneficium aut acceptetur, aut non acceptetur. Quid juvat, quamvis ad extinguendam totius civitatis sitim sufficient aquæ fluminis, quod urbem alluit, si cives non omnes dignantur se prosternere ad illas cum aliqua molestia hauriendas? Aquæ, quantum ex ipsis est, non minùs fluunt in commodum eorum, qui non volunt bibere, quàm qui volunt bibere. Unde si qui sunt, qui etsi propinquum flumen habeant, siti tamen emori malunt, penes quem ejus exitij culpa est? Ita se res nostra habet. Propterea Virgo non contenta dixisse *Misericordia ejus à progenie in progenies*, addidit, *timentibus eum*: ut intelligeremus beneficium non conferri illud non æstimantibus. Quid autem significat *timentibus eum*? significat, *colentibus*, significat *amantibus*, significat *reverentibus eum*. Habet
hoc

hoc omnis causa universalis: non producit effectum se solâ; necesse est illam à particulari, ad quod eâ indiget, applicari. Sic videmus Solem, etsi calor abunde habeat ad totas silvas accendendas, nullam tamen se solo accendere. Ut ardeant, necesse est accedere speculum concavum, quod radios collectos ad agendum applicet. Incarnatio vera causa est & unica salutis totius humani generis; ita nos Fides docet; causa tamen est universalissima. Qui proinde illam ad id, quo opus habet, non applicat, quid sperare tandem potest ac sibi promittere? nihil penitus. Ille autem applicat, qui fide viva admiratus beneficij magnitudinem suum illud facit iis actibus, qui optato fini respondent. Ne proinde ullo tibi modo persuadeas, Misericordiam tam multis exhibitam tibi quidquam allaturam commodi, si nihil eorum, quæ ad te pertinent, agere volueris: *Misericordia enim ejus à progenie in progenies quoad sufficientiam, at timentibus eum quoad efficaciam.*

III.

CONSIDERA, videri posse, quòd ad consequendam DEI Misericordiam optima præparatio sit, suam in eo spem ac fiduciam ponere, juxta illud: *Fiat Misericordia tua Domine super nos quemadmodum speravimus in te: & tamen* Psal. 32. v. 22.
 Virgo indicavit quòd sit, eum timere, *timentibus eum*. Cur non dixit potius *sperantibus in eum*, quàm *timentibus eum*? Timor videtur potius tollere nobis animos aspirandi ad aliquod bonum, maximè cum non est debitum, qualis est Misericordia, quàm addere: cum è diverso Spes ideo nobis data sit, ut ejus veluti alis attollamur ad illud quoque assequendum, quòd superat nostram vilitatem. Ita est:

F 2

sed

sed hoc in isto genere mirandum est, quòd semper plus in DEO speret, qui illum magis timet: hinc Ecclesiasticus: *Qui timetis Dominum, sperate in illum*: fundamentum enim fiduciae in DEO timor illius est. Qui illum non timet, facile illum contemnit, injurià afficit, aut saltem parùm sollicitus est ut illi placeat: quomodo igitur vis, ut suam in eo spem ponat? Pone in eo spem, qui timet; timor enim DEI semper nos facit crescere in gratia. Quo autem quisque plus proficit in gratia, tanto etiam ampliùs in fiducia se dilatat. Aperta hæc est S. Bernardi sententia. *Quantum in gratia crescis, tantum in fiducia dilataris*. Prò quantum igitur fallitur, qui sibi persuadet, quòd procedere viâ timoris, etiam perpetui, spem præpediat! Aliiter longè res se habet. Sufficit ut timeas DEUM. Dico, DEUM; aliud enim est timere pœnas, quibus vindicare scelera tua potest, quo modo etiam Peccatores timent; aliud est timere ipsum. Solas pœnas timere, quæ à DEO proficiscuntur, excitare fiduciam non potest, cum timor ejusmodi etiam ex amore proprio nasci possit: at DEUM timere, summam affert. Hic enim est reverentialis ille timor, Justorum proprius, qui ex alta illa DEI æstimatione, quam de divina magnitudine habent, natus, eos etiam in Cælum comitatur; adeò ille perfectus est. *Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi*. Hic igitur Timor, sicut quòd crescit ampliùs, tanto nos DEO gratiores efficit, ita pari modo magis idoneos reddit ad ipsius opem vivâ fide implorandam. Unde Sacræ Literæ passim plenæ sunt faustis promissionibus timenti factis. *Beati omnes, qui timent Dominum. Voluntatem timentium se faciet. Timenti Dominum non occurrent mala. Timenti Dominum bene erit in extremis. Oculi Domini ad timentes eum*. Maximè tamen timentibus DEUM

Eccl. 2. 9.

Serm. 3.
in Cant.Psal. 18.
v. 18.Psal. 13.
v. 13.

Psal. 144.

v. 19.

DEUM promissa est Misericordia non infirma, & labilis, Eccl. 33. sed constans. *Corroboravit Misericordiam suam super timen-tes se.* An igitur existimare potes multum exegisse Virgine-
nem, quando DEI Misericordiam cuiquam promittendo, non aliud studiosius requisivit, quàm ut ipsum timeret? Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Si
exegisset opera pœnalia valdè aspera, si eleemosynas perpetuas, si lacrymas solatij non capaces, si Psalmorum nullà non horâ ardentissimas preces, potuissent fortassis multi despondere animos. An tantundem difficultatis haber, Timere DEUM? quin imò nihil facilius filio, quàm timere patrem, servo, quàm timere Dominum, subdito, quàm timere Principem. Cùm proinde DEUS cujuslibet nostrum Pater, Dominus, Princeps sit, & quidquid aliud magnum animo concipere possumus, an excusare nos poterimus, quòd nesciamus, quomodo excitare nos debeamus ad ejus timorem? O insignem humanæ mentis perversitatem, quæ ne veritatibus quidem tam manifestis cedere novit!

Atque hæc sunt ultimæ periodi eloquentiæ Christianæ, quas postrema prope modum in vitæ periodo chartis commisit P. Paulus Segneri, qui morbo extremo occupatus prosequi non potuit hæc Mariani Cantici Expositionem, quam idcirco affectam reliquit, à morte ejus inventam, quam obiit Romæ 9. Decembr. Anno 1694. ætatis 71. cùm natus esset 1624. 21. Martij Neptuni in Latio.

Collegii Societatis Jesu Paderborni 1708



